



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XXXV. De Honorio I. Pontifice Romano.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

# CONTROVERSIA XXXV.

D E

*Honorio I. Pontifice Romano.*

**M**onothelitarum hæresis, quæ sæculo VI. ex Eutychniana, admittente unam tantum in Christo naturam, traxit originem, promotore Joanne Philopono, quondam Grammatico & Philosopho Alexandrino, Tritheitarum Authore: seu potius operâ cujusdam Theodori, Episcopi Pharani; qui sæculo VII. virum suum efflavit, docendo in Jesu Christo esse unam duntaxat eandemque voluntatem, ac operationem Deivirilem. Hanc detestabilem hæresin Cyrus, in Provincia Lazicena Phasidis Episcopus, mox Patriarcha Alexandrinus Sergio, Constantinopolitano Patriarchæ approbandam detulit.

Ab hujus parte stabant Macarius Antiochenus, item Jacobitarum Patriarchæ. Sergius interim hæresin illam non solum amplexus fuit: sed ejusdem quoque Eccliam sese præbens, interventione aliorum Coepiscoporum ipsum Heraclium Imperatorem pervertit, qui minus providè desuper fuerat locutus cum Episcopo quodam Armeno, Secta Eutychniano, quem Sergius perhibet, Imperatori, ipsum refutanti, sententiam, de duabus in Christo naturis, voluisse concedere; dummodo una tantum in eo statueretur voluntas. Cedrenus verò & Zonaras referunt hoc colloquium cum Athanasio, Jacobitarum Patriarcha, institutum; huncque sub eodem temperamento Concilium Chalcedonense admisisse. Baronius, & Du Pin utrumque gestum admittunt. Idem itaque Imperator, quæstiones fidei temere tractas & in eandem callidè inductus hæresin; instigante Sergio, publico edicto, quod **ECTHESIS**. Id est, Expositio fidei, vocabatur, hunc errorem promulgavit. Monothelismo illud erat favorable: sed paribus tamen silentium imposuit, quod deinde per Constantinopolitanum Conciliabulum, opera Sergii coactum, Ecclesiæ Patriarchalis valvis affixum fuit. Unicus pœne, qui hæreticæ pravitati obstaret, erat Sophronius monachus, paulò post Patriarcha Hierosolymitanus; qui litteris ad Sergium exartatis, falsum evicit esse dogma. His itaque constitutis Sergius, in arcto se positum esse sentiens, interpellavit Honorium I. tunc in

Cathe-

Cathedra Petri sedentem cum tanta submissione & reverentia sub larva orthodoxiæ, ut integerrimi candoris Pontifex minimè dubitans sincerè secum agi, posthabita Sophronii remonstratione de gravissimo periculo, Orientalibus Ecclesiis imminente; præpropere decidendo satis favorable responsum ad Sergii Epistolam dederit. Quo hic infolentior redditus, mundo persuadere conatus fuit, suam hanc doctrinam à Romano Pontifice maturè examinatam, fuisse ratam & legitimè approbatam. Hac occasione Honorius Papa apud multos Monothelita audiit, & anathematizatus haberetur, tum à plerisque neotericis, tum antiquis quibusdam scriptoribus, inter quos Tharastus Archiepiscopus Constantinopolitanus, genere eruditione & sanctitate post mortem, qua Anno 806. miraculis contestata, clarus. Pselus Carmin. de 7. synodis. Beda de Nat. rerum cap. 67. Hincmarus opusc. 33. cap. 20. Cedrenus Compend. Hist. Photius. Biblioth. Ado in Chronic. aliique, quos citat & sequitur Meichior Canus loc. com. Lib. 6. cap. ult. Hos accedunt Edmundus Richerius, Mainbourg, Du Pin, quorum argumenta non usque adeo censori possent improbabilia.

I. Honorius Papa in utroque ad Sergium rescripto conceptis verbis unam in Christo assereit voluntatem; duas seu operationes seu voluntates in eo admitti verat. Et quidem in secunda Epistola hæc leguntur. *Unam voluntatem confitemur Domini nostri Jesu Christi.* Atqui hæc est ipsissima Monothelitarum doctrina ejusdemque hæresis character; quo proinde notatus dignoscitur Honorius.

II. In Concilio Oecumenico VI. illæ Epistolæ Honorii, uti & Sergii sunt lectæ & examinatæ Act. 12. Sessione autem sequente ita declaratum fuit. *Sanctum Concilium dixit secundum promissionem, quæ à nobis ad vestram gloriam facta est, retractantes dogmaticas Epistolas, quæ à Sergio Patriarcha bu-*

*jus regia urbis scripta sunt, tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Episcopus Phasidis, quam ad Honorium Papam antiquæ urbis Romæ. Similiter autem & Epistolam ab illo, id est, Honorio rescriptam ad eundem Sergium. Hæcque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum: sequi verò falsas doctrinas hæreticorum: eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur, & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est & impia dogmata confirmavit. Ita legitur in cunctis hujus Concilii editionibus antiquis, sicut etiam, quod Synodus declaraverit Pyrrhum Theodorum, Sergium, & cum his Honorium Papam Anathemati subiectos. Pari modo Theodorus cum Synodo sua Hierosolymitana in confessione fidei, quæ extat in Concilio VII. Generali, damnat Honorium; & Tharastus, ad summos Sacerdotes Antiochiæ, Alexandria sanctæ Urbis scribens, ipsum inter hæreticos numerat.*

III. Agathon Pontifex maximus in Epistola ad Constantinum Imperatorem Anathema dixit Honorio. Et cum hic durante Concilio illo Generali obiisset, S. Leo II. ad quem Legati authenticum exemplar Decretorum & Actorum Synodi detulerant, Græcæ linguæ peritissimus in Latinam transtulit, prout nunc extat. Deinde in Epistola ad eundem Imperatorem, factam in Concilio damnationem approbat & confirmat hoc tenore. *Anathematizamus pariter Honorium, qui Apostolicam Ecclesiam nequaquam rexit secundum traditionem doctrinæ Apostolicæ, quin potius juxta traditionem profanam molitus est fidei puritatem perdere. In literis quoque, quas idem Pontifex Leo scripsit ad Episcopos Hispaniæ & Regem Hervigium, & quibus definitionem fidei, in Concilio factam, adjunxit, ut subscriberent, de Honorio*

norio asserit. *Qui immaculatam Apostolica traditionis regulam, quam à prædecessoribus suis accepit, maculari consensit.* Septimum etiam Generale Concilium, quod fuit Nicænum II. Honorii damnavit nomen & memoriam. Adrianus II. P. M. cujus in Concilio VIII. Generali fuit lecta & *Act. 7.* cum plausu approbata Epistola, refert, quod Orientales in Synodo VI. Anathema dixerint Honorio, quodque hæc sententia in ipsum lata fuerit ex Romani Pontificis consensu. Hoc ipsum denique Concilium Generale VIII. quod tantopere Pontificis Romani Superioritatem contra Photium sustinuit, ejusque acta esse sincera & integra fatetur Baronius, consentientibus tribus Legatis Pontificis Præsidibus, in definitione fidei anathematizarunt Theodorum Pharanum, Sergium, Pyrrhum, & cum ipsis Honorium Episcopum Romæ, Cyrum Alexandrinum, & Macarium Antiochenum. Atque per hæc argumenta & testimonia Authores citati fidem faciunt de Honorii defectu; quem ita certum statuunt, ut negent in tota Historia Ecclesiastica quidquam certius, clarius, constantius traditum.

*Faciuntque plura: sed illum  
Defendit numerus, junctaque umbone  
phalanges*

*Juven. sat. 2.*

Quos inter Albertus Pighius Præpositus Ultrajectensis *Lib. 4. Hierarch. Eccles.* Joannes à Lovanio *Lib. de perpetua Cath. Petri protecl.* Onuphrius in *Not. ad Platin.* Cardinalis Hosius *Lib. 2. contra Brentium.* Multus in eo est Bellarminus *Lib. 4. de Rom. Pont. cap. 11.* operosè Baronius *Annal. ad An. Ch. 653.* Patrus Halloix in *def. Orig.* Jacobus Gordonus opere *Chronol. ad Annum 658.* Franciscus Combefis *Disquisit. de caus. Honor. & novissimè Garnerius, Franciscus Marchelius Congregationis Oratorii pres-*

byter Chyæo fortium seu Vindictis Honorii Papa &c. quorum ista sunt epicheremata.

I. Pontifex Romanus Christi in terris Vicarius, Petri Successor, & Ecclesiæ Catholice Caput visibile nequit errare in fidei Decretis secundum Christi effatum *Luc. 22. Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Quo Salvator discipulo suo cæleste privilegium impetravit, ut ipse tanquam Pontifex non possit unquam aliud decernere contra fidem, sive ut in Sede ejus nunquam inveniatur, qui doceat contra veram fidem. Num quippe, hoc loco impetratum Petro, etiam ad Successores ejus pertinet in utilitatem Ecclesiæ, quæ semper indiget aliquo, à quo confirmetur, & cujus fides deficere non possit; quemadmodum ex communi tradit Bellarminus *Tom. 1. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 3.* Fuit autem Honorius I. Legitimus, & indubitatus Successor in cathedra Petri, cumque hoc quod definiit de Christi voluntate ad fidem spectaret, & unam tantum in Christo voluntatem admittere fidei adversetur, non potuit Honorius decernere, multo minus decrevit, unam solum in Christo voluntatem esse admittendam. Sed neque fieri potuit, ut hac in re quidpiam temerè definiret. Christus enim suæ religioni & Ecclesiæ prævidens, dum promisit finem, pariter promisit media, quæ ad hunc assequendum sunt necessaria; assistentiam scilicet Spiritus Sancti, quæ nunquam permittit, ut in materia, ad fidem & religionem spectante, temerè procedatur. Agnovit illud ipsum Synodus VI. quæ primam Agathonis P. M. Epistolam ad Imperatorem, in qua hoc dogma expressè traditur: *sess. 4<sup>a</sup>. lectam, act. 8<sup>va</sup>. & 18<sup>va</sup>.* approbat, laudat, ac perinde ac à S. Petro scriptam deprædicat. In eadem Pontifex subdit. *Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui Petri fidem non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pon-*

Pontifices, mea exiguitatis prædecessores fuisse semper cunctis est agnium. Inter eos autem prædecessores fuit Honorius; qui, si à fide defecisset, suos in ea fratres minimè confortasset.

II. Veterum Authorum silentium de Honorii hæresi, æquè ac ejusdem condemnatione inuictum propemodum debet reputari argumentum; nunquam hunc Pontificem in hæresin lapsum, aut condemnatum fuisse. Nihil de hujusmodi Anastasius Bibliothecarius; nihil Photius Sedi Romanæ infensissimus, qui in *Libello de 7. Synodis* refert in *6. Pyrrhum, Paulum* aliosquè damnatos; Honorii tamen non meminit. Neque Zonaras Græcus Scriptor in vita Constantini IV. Pontificem cæteris à Concilio damnatis adnumerat. Et si firmum probationis genus est, quod ab adversariis desumitur, ut Novatian. de *Trinit. cap. 18.* ait, non exigui sanè momenti horum duùm virum esse debet silentium, quo nequaquam obvoluissent Romani Pontificis tam notabilem defectum. Et ne eo solo videatur posse defendi; accedat S. Maximus Abbas & Martyr inclytus, orthodoxæ fidei propugnator Zelosissimus; Honorio synchronus, qui hunc dicit Pontificem magnum, pietate eminentem, ut orthodoxum extollit, & contra calumniantes strenuissimè tuetur. Eodem etiam tempore floruit Jonas, Abbas Bobiense, qui in vita *S. Columban.* Honorium appellat Venerabilem Præsulem, sagacem animo, vigentem consilio; doctrina clarum, dulcedine & humilitate pollentem. Quos honoris titulos tum hic, quam ille prætermisisset, si Monothelitarum hæresin, signo vel verbo, Pontifex ille fovisset. Neque hic prætereundus Venerabilis Beda, qui in vita *S. Bertulphi Abbatis*, vocat Honorium insignem Ecclesiæ Dei Antistitem prudentia & eruditione spectatissimum. Et, ut hic fæctus non esset Beata, sicut quidam prætendunt, & concedit Binius, sed Joannis Abbatis Scoti, qui

equidem, Vossio asserente, fuit Honorio contemporaneus ejusquè integritatis testis; Nihilominus Beda *Lib. 2. Hist. Angl. cap. 17. 18. & 19.* in hujus Pontificis laudibus frequens est. Et quo jure Canus dicit, quod hæc loca additione nominis Honorii, à sciolo quodam censeantur corrupta; eodem dicetur quod locus ille à Cano citatus de *Nat. rerum cap. 67.* sit interpolatus; dum ibidem Honorius cæteris anathematizatis adnumeratur, de qua interpolatione Bellarminus nequaquam dubitat. Nauclerus item, Flavius Blondus, aliiquè posteriorum sæculorum Historiographi de Honorio honorificè sentiunt. Platina certè, qui plures miserum in modum depexuit Pontifices, conspicuum de Honorio, quem nominat virum Sanctissimum, præbet testimonium; quando in ejus vita ex antiquorum relatione scribit, Heraclium Imperatorem Pyrrhi & Cyri fraudibus circumventum, hos Monothelismi Authores, hortante Honorio, & verum ante oculos litteris nuntiisque ponente, in exilium relegasse. Addit Baronius *tom. 8. Annal. ad Ann. Chr. 638.* antiquis monumentis & inscriptionibus, post Honorii obitum confectis, permulta de optimo illius regimine Ecclesiæ, & sincera per omnia fidei orthodoxæ observatione prædicari: unde & ex iis quoque erubescere debeant, qui in ipsum mutire vel audeant. *Sicut nemo obscurum diceret solem, ne si cæcus quidem fuerit; erubescit quippe opinionibus omnium adversari: ita & eum, qui nimio decoro fuit conspicuus atque morum honestate illustris, nullus profecto culpæ presumat.* Chrysost. *hom. 10. de divers.* His rationibus & argumentis etiam Honorii honori consultum videri posset: non omnibus tamen mens de ejusdem hæresi erui nequit; qui absolute negant, tam valide eadem constringere, ut Pontifex ille omnino absolutus evadat, à quibus.

Ad Primum Respondetur. Quantumvis ut certissimum ab omnibus Catholicis ad-

mitti debeat, quod Papa in fidei iudicio contra fidem nunquam definire possit, quo Ecclesia Christi in errorem abriperetur, cuius rei exemplum ne unum quidem proferri poterit. Quandoquidem orthodoxorum plerorumque Theologorum atque Canonistarum constans est doctrina Romanæ Sedis responsa & Decreta, quibus, rogata ab Ecclesia, aliquid ad fidem pertinens, directis ad universam Ecclesiam Diplomatis, Ecclesiæque consensu suo, Decreta illa divinis fidei regulis consona esse comprobante, definit, infallibilia esse. Et in hoc privilegio, quod Christus Petro, non ut homini privato: sed Ecclesiæ Præfecto, ad communem Ecclesiæ utilitatem dedit, Romanus Pontifex eidem Apostolorum Principi succedit. Quod quidem heterodoxi passim negant; Theologi tamen satis communiter docent: quidquid Dominicus Bannez in 2.2. *quest. 1. art. 10.* scribat. *Speciale Petri privilegium sonat, in quo aliqui pie & Catholicè intelligunt perseverantiam in fide interiore Petro esse promissam, ad successores eius extendere non cogimur.* Pro qua sententia Maimbourg citat *tract. histor. cap. 7.* SS. Chrylost. Augustin. Thom. Bonavent. &c. Nihilominus in iis, quæ sensibus, rationi & diligentia humanæ innituntur, licet sæpè certa sint; cum tamen erroris atque sub- & obreptionis periculo obnoxia dignoscantur; Pontificem falli posse, & Canonum factorum periti, & sublimitioribus scientiis imbuti pleniori concordia admittere non vetentur. Hoc Baronius in eadem causa Honorii testatur, nemini dubium esse posse; & cum Bellarmino *Lib. 4. cit. cap. 12.* Dominico Gravina Sac. Pallatii Apost. Magistro, Card. Pallavic. *Hist. Frid. Lib. 7. cap. 14.* plerique Scriptores haud gravatè concedunt. Imo sanctissimi & sapientissimi Pontifices, veritate coacti & propriis experimentis instructi ultro fatentur, supremam suam dignitatem, non solum in applicandis legibus, aut in iudiciis, quæ pendent ex in-

formatione actorum, & ponderatione circumstantiarum ferendis, ab errandi periculo non eximi: sed potius ob illam, qua obtinentur negotiorum immensam molem pluribus erroribus fraudibusque exponi. Audiat hac de re magnus ille Gregorius *Lib. 1. Dialog. cap. 40.* *Quid miraris, inquit, quia fallimur, quia homines sumus? Quid mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur; qui Propheta non sumus? Multum verò est, quod unius cuiusque Præsulis mentem curarum densitas vastat: cumque animus dividitur ad multa, sic minor ad singula: tantoque ei in unaqualibet re subripitur; quanto latius in multis occupatur. Nullum igitur Sedi Apostolicæ inferitur præiudicium, neque ejus labefactatur autoritas, aut convellitur sanctitas; si dicatur Honorium Papam in rescripto ad Sergium hallucinatum fuisse. Respondent enim (verba sunt Caricetati) sæpe Pontifices ad privatas huius vel illius Episcopi quæstiones, suam de rebus propositis opinionem explicando, non sententiam ferendo, qua fideles obligatos esse velint ad credendum. Agathonis Papæ Epistola juxta præfatam exegelin intelligenda, quam, utpote orthodoxam, Concilium veneranter suscepit: non tamen omnium terminorum ad causam principalem minimè spectantium, hoc ipso discussit sensum. Sed neque Pontifices ea omnia, quæ Epistolis inferuntur intendunt æquali semper autoritate vigere. Foret ergo proorsus inutile, ea quæ obiter, & in transcurso præter præcipuum institutum dicuntur, juxta litteræ apicem examinare.*

Ad Secundum Respondetur. Scriptorem de re quadam silentium, illius non gæte nequit esse aut certum aut etiam probabile argumentum: nisi quando est universale; ita, ut nullus eo, aut proximè sequente tempore quidquam de eadem tradiderit. Hinc enim prudenter colligere fas erit, commentum esse, quod alii post longa temporis in-

tervalla referunt. At si factum tradatur, & in quorundam monumentis notatum reperitur, quorum institutum exigebat, ut annotarent, sicut de Honorii gestis scripserunt, & perhibuerunt Authores citati æquavi aut suppartes; tunc aliquorum silentium nullo nobis debet esse loco. Compertum quippe habetur, varios etiam magni nominis Scriptores sacros & profanos, si non ex oscitantia, vel incuria, saltem affectu ductos, seu aliorum respectu, spe præmissi, metu potentiaë inductos impeditivè complura etiam suorum temporum gesta memoratu digna silentio obvolvissè. Anastasius nihil omnino scripsit de Concilio Constantinopolitano sub Damaso, contra Macedonium, nec de Concilio Generali V. multaquè omisit de Vigilio Papa, illuc spectantia. Concilii Generalis VI. non nisi 7. Sessiones recenset, quod circa Pascha narrat finitum; cum tamen ad Septembrem productum fuerit, quando 18<sup>va</sup>. Sessio, eaquè ultima fuit habita. Sed ut hæc nequeunt viri hujus obfultare laudes, quas tum Baronius, tum alii ob accuratorem & sinceritatem in scriptis deprehensam ei tribuunt; Honorii condemnationem in versione Concilii VII. simpliciter retulit, absque eo, quod illum in præfatione censoria aut justificaverit, aut improbaverit. Ad Zonaræ & aliorum, citata vetustatis Historicorum silentium exigua erit reflexio habenda. S. Maximo sua sit de innocentia Honorii opinio: contrarium iudicium tulerunt mille Patres in Conciliis Generalibus citatis congregati. Neque tamen adeo perversus censeretur debet Honorius, quin non mereatur à Beda aliisvè; aut in monumentis Veterum, ob res præclare gestas commendari.

Sic moliantur, qui Honorium Pont. Max. culpant, destruere & enervare ea, quæ pro ipsius innocentia contribuere valent. At Pontificia integritatis vindices nituntur illos roagere: atque ea elevate argumenta, quæ hunc virum gravant.

Ad Primum Respondetur. Verba illa extant quidem in textu Græco; dubium tamen est an in archetypo, Latinâ Linguâ conscripto hujusmodi reperiantur; eo quod S. Maximus expressè assertat, Pontificem Honorium minimè rescripsisse aut sensisse, quasi non sit nisi unica voluntas in Christo; adeoque violenta suborietur suspicio, quod Græcus Interpres hunc locum corruperit.

Quid virum huic exceptioni insit, colligitur ex argumento 3<sup>io</sup>. oppugnantium. De Leone II. magis infra patebit ex Agathone quodam Diacono Concilii Secretario. Interea hic observandum venit, quod Vincentius Contensonius Ordinis Prædicatorum SS<sup>ca</sup> Theologiae Doctor & Professor in sua *Theol. ment. & Cord. Lib. 5. cap. 5.* scribit, *In VI. Synodo refertur Epistola Honorii, quam esse ipsius Legitimum partem nemo dubitat; cum ex ea conentur eruere Authores, Pontificis illius in fide innocentia argumenta: & tamen legentibus constat Honorium in suis litteris approbare Epistolam Sergii hæreticam.* Quem proinde Imperator in suo Edicto Monothelismum proferibente dicit, quod sit hujusmodi hæreseos approbator.

Ejusdem commatis est illud opinamentum, quod in his litteris Honorii pro una voluntate, *nova* voluntas legi debeat, quo nihil ineptius fingi poterit. Aliis perplacet allegata verba posse pati sensum Catholicum: scilicet quod una voluntas fuerit in Christo, quia humana semper fuit eadem cum divina, id est, divina omnino conformis. Et si inter has quædam appareat repugnantia; non tamen hæc illi ita contrariebatur, ut Christo opus fuerit humanam vincere & mortificare. Atque hoc ipsum Honorium sensisse volunt constare ex editis à Turriano S. Maximi Epistolis, & scripta Controversia cum Pyrrho Sergii successore, quæ adhuc, teste Bellarmino in Bibliotheca Vaticana reservatur: ubi testimonio & interpretamento ipsius Joannis Abbatis Secretarii Pontificii, qui

qui epistolam Honorii nomine conscripserat; & adhuc tempore S. Maximi superstes fuerat, Martyr ille evincit, quod opinio Pontificis falso hæreseos insimuletur.

Quandoquidem vero in aprico sit, nullo unquam tempore inter Orientales fuisse quæstionem agitatam, an in Christo duæ sint voluntates sibi invicem repugnantes, quarum una est divina; altera carnalis, vitiosa, & divina adversa voluntati atque rationi rebellis; sed hæretici, & imprimis Sergius, contenderint Deivirilem unam tantum esse in Christo operationem & voluntatem, illeque Sophronium monachum traduxerit, quod duarum voluntatum assertionem orbem molestaret: quomodo interpretatio illa verborum Honorii subsistat eum statu quæstionis perspicuo ex Sergii epistola & Heraclii ECTHESI, & quomodo salvetur Decretum Synodi VI. quo profitetur quod invenerit scripta quæ facta sunt ab Honorio ad Sergium, *Quia in omnibus mentem ejus secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Quomodo inquam hæc concilientur, ne Apollo quidem intelliget. Sunt, qui Epistolas Maximi æquæ ac Leonis & ipsiusmet Honorii uno alterove sæculo post horum nominibus fuisse confectas arbitrantur, quatenus sic ab Honorio hæresis labes amoliretur: sed ut illud arbitrium cæteris persuadeant, topicis destituntur. Cæterum quas Jacobus Sirmondus ex Collectaneis Anastasii Bibliothecarii edidit ipsiusmet Anastasii ad Joannem Diaconum, Joannis Papæ IV. ad Constantinum IV. item S. Maximi ad Thasium Abbatem, Martinum presbyterum & Petrum Illustrem; non magno apud modernos criticos sunt pretio.

Ad Secundum Respondetur à Pighio *Disseriba de act. VI. & VII. Concil.* Acta istius Concilii esse repudianda, quod ipse TER EX-ECRANDUM dicit, quandoquidem Papa, etiam ut particularis persona hæreticus esse non possit. Alii mitius autumant, acta

eiusdem Synodi corrupta esse, & ab inimicis Ecclesiæ Romanæ intercalatum Honorii nomen: Quod Bellarminus probat testimonio citati Anastasii Bibliothecarii in historia sua ex Theophane, necnon Græcis familiari vaframento contumpeudi acta publica: id quod deprehensum fuit in Synodo ipsa VI. act. 12. & 14. dum relegerentur acta Synodi V. Sunt enim reperti tres quaterniones ab hæreticis inserti & in iis Honorii epistola. Depravârunt pariter Græci Synodum IV. III. & II. Non ergo mirum, si veteratores illi in Synodo VI. idem fecerunt. Quidam actorum viciationem attribuunt Theodoro homini cato & versipelli, Monothelitarum defensori audacissimo, qui post lapsum in speciem factus Catholicus Scdique Constantinopolitanæ restitutus, Honorii nomen, suo sublato, substituerit: sicut Vitaliani nomen Papæ contra Imperatoris mandatum è sacris Dyptichis evulserant. Hoc argumentum multis probare satagit Baronius *Annal. tom. 6. ad An. Chr. 681.* tum quod hæc Synodus omnes Constantinopolitanos Episcopos Monothelitas nominatim singulos recensendo damnet; Theodorus tamen eiusdem hæresis causâ è gradu jam dejectus minimè nominetur; neque tamen inter Orthodoxos, etiam ab eadem Synodo enumeratos Episcopos referatur: tum quod Anastasius ex actis Synodalibus, quæ in Synodum reduxit, expresse tradat, hunc Theodorum & Anastasium Antiochenum fuisse hæresis reos compertos. Et tamen nihil hujusmodi est reperiri in actis Synodi; tum denique, quod Nicephorus & ipse Constantinopolitanus Episcopus in Chronico testetur restitutum postliminio Theodorum & summa rerum positum. Quem proinde, cum Synodalium actorum prototypon nactus fuisset, nomen suum è damnatorum classe expunxisse, nemo facile inficiabitur. Sed neque ipse Theophanes, qui cæteris antiquior & magis sincerè hujus temporis res gestas colligit,

git, quidquam de Honorii condemnatione meminit: quod tamen; quia paradoxum velutque portentum fuerat Romanum Pontificem à Concilio damnari, referre haud omisit. Notari insuper meretur, quod Episcopi Orientales in Concilio Romano seu Lateranensi Episcoporum 105. Anno 649. sub Martino I. celebrato, licet nec Episcopis Monothelitis Orientalibus nec Imperatoribus Heraclio & Constantino pepercerint, nullam mentionem Honorii fecerint.

Verum enim vero conjectura hæc, utcumque suffulta de corruptione Actorum repugnat consensui Codicum Græcorum & Latinorum, qui & relictis & subscripti ad præsentiam Imperatoris; ut liquet ex Actis ejusdem Concilii VI. ipsisque per Legatos Apostolicos Romam allatis Codicibus; in quibus nomen Honorii inter Anathematizatos extraxit Baronius fatetur *loc. cit. num. 11.* Sed etiam Agathon Diaconus, Thesaurarius Carnotensis, & Ecclesiæ Constantinopolitanae Vice-Cancellarius, cujus scripta P. Combefis typis vulgavit; perhibet, quod Secretarii officio functus in Concilio VI. hujus Acta manu propria descripsit, quæ in Palatio Imperiali diligenter custodita sunt: quodque ad præcavendam eorundem actorum corruptionem quinque ectypa pro quinque Patriarchis confecerit, quorum unum Leo II. citra ambiguum obtinuit; in quibus nomen Honorii inter Anathematizatos reperitur. Præterea vix credibile est Legatos Pontificis Agathonis tanta supinitate passuros fuisse sibi imponi; recente rei memoria; inter quos Legatos extitit is, qui postea Joannes V. Pontifex Maximus hoc Anathema Honorii approbavit. Approbatum quoque fuit à Synodo VII. iterumque ratificatum à Synodo VIII. quarum Acta omnes Doctores, citato Contentonio perhibente, per octo sæcula receperunt: & electi Pontifices in professione fidei sese recipere professi sunt. Totam denique Antiquitatem, prout nunc

extant, agnovisse incorrupta tradit Maimbourg. *l. c. cap. 12.* quod confirmat constante traditione Ecclesiæ Gallicæ ex Chronico Adonis & antiquissimo ejusdem Martyrologio, quod custoditur in Bibliotheca Card. Mazarini. Quid, quod in Veteri Breviario Romano, impresso Venetiis Anno 1482, item Lutetiæ Parisiorum Anno 1543. in festo S. Leonis II. die 28<sup>va</sup> Junii legatur in 2, Nocturno Lect. 1. *Hic suscepit S. Synodus & Lect. 2. In qua Synodo Cyrus & Sergius Honorius & Pyrrhus condemnati sunt.* Et in Diurnali Romano seu Cæremoniali extat memorata professionis fidei formula, quam Pontifices solebant in die Consecrationis suæ emittere; in qua declarat, quod recipiat Concilium Generale VI. in quo Sergius, Pyrrhus, Paulus condemnati sunt tanquam Authores hæresis Monothelitarum, cum Honorio, qui eorum perversæ doctrinæ fomentum præbuit. Insuper contra Baronium militat, quod in condemnatione Honorii ferè semper apponatur. ANTIQUÆ ROMÆ EPISCOPUS, quod additamentum eraso seu liturato nomini Theodori multoties superinduci nequaquam potuisset, quin Legati, utique oculati advertissent. Accedit, quod nomen Theodori condemnati post suorum in Sede Constantinopolitana Prædecessorum condemnatorum Sergii, Pyrrhi & Pauli nomina positum fuisset; aut Honorii nomen alio semper recenseretur loco, nimirum post Theodorum Pharanensem aut Cyrum. Demum notatu dignum quod citatus Agathon Secretarius scribit de impiissimo & in Monothelismo à juventute nutrito Philippico, quomodo in Imperatorem electus noluerit Palatium introire priusquam submoveretur ante januam depicta Synodi VI. imago supraposita. *Id præterea auctoritate decernens ut Sergii Honoriique ac cæterorum pariter ab eadem Sancta & Oecumenica Synodo ejectorum nomina in Sacra Ecclesiarum Dyptica præconio publico referrentur*

rentur eorumque per loca imagines erigerentur.

Atque his præsumpta de Actorum corruptione suspicio facile eliditur, quæ apud multos hucusquæ locum obtinere non potuit: quamque nunc omnes, si Du Pino de *Antiq. Eccles. Discipl. Dissert. 5.* credendum, ridet, & Actorum sinceritatem agnoscunt. In eo commendandus verit. Excellentissimi Cabaletii Aquisextensis eximius candor *Hist. Synod. 6.* sic scribens. *Quidam veterum nullo Scripto subnixi affirmant & contendunt in hujus Synodi plus quam duodecim locis pro Theodoro fraudulenter oblitterato à Græcis Latinorum amulis fuisse suppositum Honorii nomen: sed fatendum est, illam de falso inscriptionem nullo exemplari antiquo, nullo veterum de hac prætenfa falsitate nisi testimonio.* Facessat igitur vana Marchesii conjectura, quasi post solutam Synodum nomen Honorii actu Græcico fuisset in quodam Conciliabulo attextum: merumquæ commentum haberi debet, quod de Conciliabulo post obitum Agathonis à Græcis celebrato Anno 682. in Januario, ejusque Actorum commixtione cum sinceris Oecumenicæ Synodi, indeque condemnationem Honorii provenisse præfertur, cujus rei apud præcos ne vel tenuissimum est reperire vestigium.

Omissio nominis Honorii in Concilio Lateranensi ex ratione politica contigisse videtur, quando Honorium Sacri Canones seu Anathemata Synodi Generalis toties tamquæ aperte involvunt: ut palpabile sit, nonnisi affectato discrimine nomen illius fuisse dissimulatum, sicut in Breviario Rom. Pii V. & deinceps fuit omissum in Lectionibus S. Leonis II. esto Anastasius in vita hujus obsever, quod receperit Concilium VI. in quo condemnati Cyrus Sergius, Pyrrhus & Honorius. Porro Pighii opinionem Canus *loc. com. Lib. 6. cap. 8.* vocat novam; subjungitque. *Quamvis antea multis in locis dicat*

Pighius, sicut hic dixit, satis probabiliter de summi Pontificis autoritate, non tamen id spectandum est, quid dicat: sed quid consentaneum sit ei dicere, cui veritatem tueri ac retinere sententia est. Dicit itaque multa multis locis de hac quidem re, sed aqua haeret, ut ajunt. Ac licet ejusdem opinionem hanc de Pontifice Bellarminus dicat probabilem & piè credibilem, Bannez tamen, ubi supra *quæst. 1. art. 10. parum topica & probabilis ratione ductum voluntate & gratis hoc asseruisse asserit*; additque contrariam sententiam esse communem opinionem omnium antiquorum & Pontificum Romanorum & Scholasticorum Doctorum, ante Pighium, & graviorum post ipsum Cajetani Turrecrematæ Salmanticorum, Victoriz Soti Cani &c.

Aliam viam salvandi honorem Honorii ingressus est Garnerius. Nimirum Patres Concilii in proscriptione Epistolarum ejusdem Pontificis nullam facere mentionem de una Christi voluntate, quam ipse propagasset: sed tantum generaliter de falsis doctrinis. At hæc prætenfio omnino præcaria est. Agebatur siquidem in illa Synodo tantum de Monothelitarum dogmate: & cum æquè damnaretur epistola Honorii ac Sergii, ut abhorrentes ambæ ab Apostolicis dogmatibus, de alio autem dogmate id intelligi nequeat, quam de una voluntate Christi, in quo perverso dogmate Sergii Honorius à Synodo deprehensus fuerat. *Quia in omnibus mentem ejus secutus fuerat & impia dogmata confirmavit.*

Dum igitur per hujusmodi tortuosos anfractus obliquosque viarum flexus periclitanti Honorio succurrere non posse percipiunt, qui quovis modo cum ereptum vellent, audientiores recta procedunt. Et quidem Joannes Cardinalis de Turrecremata *Lib. 2. de Eccles. cap. 39.* alique recentiores ingente fatentur, quod Patres Concilii VI. Honorium damnaverint, sed ex falsa, dicunt. nar-

rations,

ratione, proindeque erraverint. *Plus valet, quod violentia cogit, quam quod suadet & precipit verecundia.* legitur apud Valer. Max. Lib. 3. Illo itaque admisso, audiendus erit Baronius *loc. cit. num. 22.* Si à Synodo factum esset, ut acta, quæ extant, edocent, nihil impudentius, nihil ineptius potest cogitari. Quomodo accideret potuit, ut unus duntaxat lectione epistolæ tanquam cælo sereno repente fulmine missæ, condemnatus fuerit primaria Sedis Antistes, de qua illa esse consuevit omnium vox in Synodis. Prima Sedes omnes iudicat, & ipsa à nemine iudicatur: cum lecta epistola antea cum auctore damnata fuit, quam examinata? sed etsi examinata fuisset, & hæretica inventa fuisset; nonne antequam condemnaretur auctor, oportuisset exacte disquiri, num usque ad obitum in eadem sententia persistisset; quem terre non persistisse illud necessario demonstrabat, quod semper Romæ Catholicis habitus in Catholica pariter communionem diem clausit extremum (id enim toti Orbi notissimum erat) quod usque in diem hunc tot Romani Pontifices ejus successores, & inter alios Sanctissimus Papa Martyrque Martinus ejus memoriam, sicut aliorum Pontificum honorifice in Synodo fuerant persecuti. Ita ille. Neque absonum iis videretur Authoribus, quod Legitimum in Spiritu Sancto congregatum Concilium Oecumenicum errori sit obnoxium, quando errore Synodi VI. justificato absurdiora etiam sequi necesse foret. Quamvis enim hujusmodi Concilium errare nequeat in definiendis fidei dogmatibus; poterit tamen hallucinari in quæstionibus facti: quod quidem ita certum esse statuit citatus Cardinalis, ut de eo minus dubitandum esse affereret. Ad stipulatur Bellarminus *loc. cit. hinc.* Itaque isto dicerè possumus, hos Patres fuisse deceptos in falsis rumoribus, non intellectis Honorii epistolis, immeritò cum hæreticis eum connumerasse. Idem plane sentiunt Binius, Wiggers, Gonet, Veronius &c.

Nonnullis tamen placet, quod epistola Honorii Pontificis fuerit antea malitiose corrupta, priusquam in Generali illa Synodo publice lecta fuisset? atque hinc Patres illos interpolationem minimè observantes fuisse in errorem inductos, ut vitum integerrimum post mortem anathemathizarent. Verum ita opinantibus opponitur, quod rescripta in Concilio Sess. 12<sup>ma</sup> exhibita sint cum exemplaribus authenticis collata, quæ producta sunt ex Patriarchio Constantinopolitano & quod talia constiterint exempla de quibus proferuntur sententia, testantur Acta illius Sessionis.

Præferenda itaque hac in parte videbitur citatorum authorum opinio, ipsum scilicet authenticum Honorii rescriptum minus bene à Patribus Concilii fuisse intellectum. De quo Petrus Halloix Leodiensis, Societatis Jesu, in *Origine defenso Lib. 4. quæst. 10.* quod opus Innocentio X. P. M. dedicaverat, sic pronuntiat. *Ego quidem perlectis Honorii Litteris, propter quas illum iudicarunt Orientales esse Monothelitam, seu assertorem unius duntaxat voluntatis in Christo, mirari satis non potui ejus iudicii absurditatem, natam, quantum ex ipsis actis colligere potui, ex invidia Constantinopolitanorum & Orientalium erga Sedem Apostolicam, in qua nullus adhuc Pontifex in aliquo fidei puncto errasse fuerat declaratus, tametsi aliarum Sedium Patriarche complures & compluries aberrassent. At nihil sine Quia, ut vulgo loquimur. Cum ergo occasione rescriptorum Honorii fuerit à Patribus Concilii Monothelita iudicatus, utique vel verum, vel saltem appatens argumentum inde fuit desumptum. Et cum verum fuisse negent Honorii defensores; nec illud de duabus voluntatibus rebellantibus interpretamentum locum habere queat; nisi quis admittat omnes Patres illos aut fuisse stupidos aut malitiâ exæcatos, aliud motivum seu velamentum subesse debuit, quo iudicii iniquitatem palliare poterint. Suggestunt quidam Honorium in*

his epistolis improbare tantum nomina unius vel duarum voluntatum, quæ tunc paradoxa videbantur, adeoque in Controversiæ decisione accommodato ad tempora ingenio, suppressere volebat voces illas, vetabatque earum usum ad præcavendum scandalum. Et quidem in priori epistola hæc omnia satis indicat, cum decernit; ideo deberi abstineri à vocabulo unius operationis, ne stultam Eutychianorum hæresin ( hæc unam in Christo naturam ponebat ) & attentis auribus demerentiam fateri putaremur. Et è contra à duarum operationum vocabulo abstinendum docet, ne Nestorianos ( hi duas in Christo personas dicebant ) sectantes, nos vesanos arbitrentur. Quo quidem prudentissimè ab Honorio adhibita cautela Patribus occasio fuisse creditur, ut illa verba sinistrè interpretando Pontificem Monothelismi infimulaverint. *Culpa infelix, excusatio in qua locum non invenit Zeno in cap. 3. 1/a.*

Et ut hæc omnia locum habeant, nondum tamen perorata quæstio est. Typus Constantis ( edictum est Imperatoris, quo jubetur silentium de una vel duabus in Christo voluntatibus ) à Theodoro I. & Martino I. Romanis Pontificibus, habitisque per eos Synodis, fuit damnatus. Hoc ipso itaque fuit Honorii censura ab illis Pontificibus & Conciliis improbara.

Interea si quis vehementius instare non desinat. Ergone privatus quispiam Doctor, aut sciolus scholiastes melius intelliget Honorii epistolas, quam intellexerunt tot Patres gravissimi in Spiritu Sancto congregati? Hoc sibi responsum habeat, Epistolas has sic melius intellectas à Joanne IV. Martino I. Agathone Nicolao aliisque Pontificibus maximis & ab universo Concilio Romano sub eodem Martino.

Si quis demum urgeat. Cur Theodorus & Georgius presbyteri ac Joannes Diaconus Sedis Apostolicæ Legati in Concilio VI. non reclamaverint, cum Honorium adverterent

fulguritum. Respondetur: id factum non fuisse majus malum evitandum, ne scilicet Concilium statim dissolveretur, & Schisma, quod annis sexaginta perseveraverat, diutius Ecclesiam turbaret. Ast cur finito Concilio non fuerint Legati solemniter protestati? Tantum abest ut fecerint, ut postquam expeditionis suæ rationes sanctæ Sedi exhibuissent: Acta Concilii sine exceptione fuerint ab eadem approbata.

Qui animo pacato menteque tranquilla hæc perpendet, subinferet. Ergo possent quoque Monothelitæ, si nunc extrarent repone: Patres Concilii VI. minus bene intellexerunt scripta Theodori, Sergii, Pyrchi, &c. & consequenter immerito anathematizarunt hos Antistites spectatissimos.

Non ab simili modo Jansenistæ quos vocant, seu Quênellistæ his temporibus excipient. Innocentius X. Clemens XI. non fuerunt sensum assecuti in iis, quæ Jansenius & Quênellus scripserunt, adeoque immerito Propositiones ex eorum Libris desumptas, ut hæreticas, hæresin sapientes &c. damnarunt. Quod, cum in Gallia, pro dolor, non pauci pertinacissimè prætendant usque hodie, qui vel ideo ad Concilium Generale appellant, Ecclesiæ Catholicæ tranquillitas non modicè perturbatur.

Ad Tertium Respondetur. Plurimos Viros sanctos olim conquestos quod literæ ab ipsis exaratae fuerint falsificatae. Hoc conquestoritur S. Leo in epist. 83. ad Palæstinos. Idem asserit S. Gregorius Magnus de suis libris: eadem ergo fors obtigit epistolis Agathonis & Leonis. Trabs in omnibus.

Attamen replicatur, Quod gentis argumenti ab exemplis sit magis efficax ad probandum, simile quid potuisse etiam in aliis fieri, quam, quod factum sit. Conjecturæ & præsumptiones, quando aliunde non constat de veritate rei, prudenter quidem desumuntur ex frequenter contingentibus: aut quando in historicis tractatur de re, cuius

certa

cetta probatio adfertur, quod gesta sit, ut in presenti, tunc ingens etiam conjecturarum agmen elimbe est ad assertæ rei veritatem destruendam. In causis conjecturalibus anceps fertur sententia, & nonnisi infirma subsequitur assensio; dumque conjecturationes ipsæ ad veritatem expendantur quamprimum diffluunt, haud secus ut nox ad Solem exposita colliquescit.

Alii observatu dignum volunt in neutra Agathonis epistola ad Imperatorem Anathema Honorio dici, quod sine accuratiore indagine citatus Canus, suorum tenacissimus ubique opinamentorum, præterdit; deceptus forte ex Summa Conciliorum, cujus Autor, contra fidem epistolarum, quæ tom. 2. integræ extant, addidit nomen Honorii. In Caranzæ Summa Antwerpæ Anno 1556. impressa in Concilio VI. Sess. 4. refertur epistola Agathonis ad Imperatorem & Synodum, in qua tamen nulla Honorii fit mentio: sed potius exprimitur Apostolicos Pontifices, suos scilicet Agathonis prædecessores, (inter quos Honorius) restitisse hæresibus & confirmasse fratres in fide; neutquam ergo Honorius hæreses tradidisse credendus.

Leonis litteras ut spurias & confictas Baronius omnino repudiat, quandoquidem 7<sup>ma</sup>. Maji, Indictione 10<sup>ma</sup>. Anno scilicet 681. sint scriptæ, quando Leo ad Pontificatum nondum pervenerat. Indictiones etenim inchoantur mense Septembri: & si Leo etiam ad finem anno vergente fuisset electus, ut plurimorum est opinio, Indictione 11<sup>ma</sup>. id contigisset: quamquam Baronius cum aliis Agathonem dicto anno in Octobri defunctum & postea anno 1. mensibus 2. Sedem vacasse velit, qui ipsum Agathonem in Annum 682. superstitem statuit, & non primo mense, ut opinatur, sed in Junio mortuum prodit Anastasius in *Catalogo*. In Litteris ejusdem Pontificis ad Hervigium Regem & Episcopos Hispaniæ, in

quibus de Honorio asseritur, *Quod immaculatam Catholicæ & Apostolicæ Traditionis regulam, quam a prædecessoribus suis accepit, maculari consenserit.* Petrus de Marca, apud Baluzium in *vit.* & alii perspicaciores animadvertunt, Honorium traduci duntaxat alicujus negligentia; quasi Oriente Monothelitarum Machinationibus turbato, quando ex officio ei incumberebatur grassantem hæresin cohibere; & se pro domo Dei murum exhibere, dissimulaverit, atque in inartura suppressione desidiosus fuerit.

Subtile inventum: sed removendis difficultatibus ineptum. Liceat his subnectere illud Taciti *Annal. Speciosa verbis re mania aut subdola, quanto magis veritatis imagine teguntur, tanto erumpunt ad insensius servitium.* Cui nuda placet veritas; huic illud interpretamentum displicere necesse est. Satis illud refellitur ex eo, quod Patres Sess. 13. dicant. *Cum his verò simul projici à vultu Dei, Ecclesia Catholica, simulque Anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium: quia in omnibus mentem Sergii secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Hinc ejusdem Pontificis Epistolæ in eodem Concilio lectæ, non secus ac cæteræ chartæ & Litteræ hæreticorum igni adduntur: *Eo, quod, inquit Patres, cognovimus in una ipsam eandemque impietatem tendere cum scriptis hæreticorum.* Quid, quod Sacrosancta Synodus declaret? Dæmonem per organa sua, id est Theodorum Sergium, Pirrhum & Honorium &c. Ecclesiæ continenter erroris scandala excitare; unius voluntatis & operationis in duabus naturis Christi hæresin in populum spargendo. Atque hæc & multa alia in eodem Concilio contra Honorium definita manifestè evincunt, non ob desidiæ tantum; seu quia permiserit alios errare, damnatum fuisse cum cæteris: sed potius *Quia in omnibus eos secutus est.*

Plus de sinceritate eorum habet expressio, qui Leonem II. secundum Acta minus cautè processisse dicunt, ac proinde, quod prudentissimis, in his, quæ ad rerum cognoscendarum veritatem spectant, accidere potest, deceptum fuisse. Quo quidem Apostolici culminis reverentia minime læsa videri debet, quando ejusdem reverentissimus Bellarminus *loc. cit. capite 7.* scribit. *In hujusmodi autem causis Episcoporum ac presbyterorum, qui de aliquo crimine accusantur, fatemur non habere Pontificem assistentiam Spiritus Sancti, per quam non possit errare.*

Ad Adrianum Pontificem quod spectat, notant, quod tantum referat, Honorium fuisse accusatum & ab Orientalibus damnatum: Sed neque hoc extra dubium volunt. Siquidem Nicolaus I. in Epistola ad Michaëlem remittens Imperatorem ad hanc Adriani Epistolam, vacillans apponit, *Si tamen non falsa, more Græcorum, sed sicut à Sede Apostolica missa est, penes Ecclesiam Constantinopolitanam hætenus conservetur.* Patres autem Orientales in Conciliis nihil pravi suspicantes easdem litteras majori confidentia, quam circumspectione recipientes Anathema Honorio dixerunt: & quod in aliquo Concilio relatum fuit de facta condemnatione Honorii in Synodo VI. approbatur ab Adriano II. in Epistola, quæ *act. 7.* in eodem Concilio fuit lecta.

Fonsitan illi omnium felicissimè rem expedire videbuntur, qui, ut supra dictum, præterdunt, totam controversiam illam Monotheliticam inanem fuisse, quoad summam rei, logomachiam, seu pugnam verbalem: atque adeo non male fecisse Honorium interpellatum, quando pacem illis disputationibus prætulit. Verùm hi magis suæ causæ inservire videntur, quam veritati: quia non de lubrica verborum significatione: sed de re ad fidem Catholicam spectante agebatur: in qua, cum non liceret ob bonum pacis quidpiam indulgere,

quod orthodoxiæ repugnat: frustra hoc modo nutantem Honorii famam restituere tentant. *Nihil in Ecclesia magis nocuum quam lenis dissimulatio.* ait S. Joan. Chryl. *Hom. 11. ad Tim. 1.*

Sed ecce aliud refugium in angustia constituti Combesii; *loc. cit. cap. 3.* Rectè scilicet Honorium Papam à Synodo VI. ab Agathone, Leone II. aliisque Pontificibus Romanis condemnatum; rectè à S. Maximo & Leone IV. absolutum: planè, ut Dionysius Alexandrinus à S. Athanasio liberatus fuit ab omni Arianismi suspitione, à Basilio verò insimulatus tanquam Arianorum Antesignanus. Quod idem in Honorio contigit; quia non admisit contrarias voluntates in Christo, voluntatem scilicet, qualis in nobis est, rationi repugnantem; & hoc quidem, quod alienum à quæsito fuit respondisse Secretarium impertinenter; qui postea de Pontificis orthodoxia publicè testatus est, ut S. Maximus narrat.

Plurimum itaque Honorius debet Combesio, si, rejecta culpa in alium, hujus substitutione evadat absolutus ab hæretica pravitare. Magis certè Soreti huic suo obligatus remanebit, quam iis, qui præcedunt, ipsum in suis scriptis errasse tanquam auctorem privatum, non ut Pontificem; habito nempe fratrum Coepiscoporum consilio ex Cathedra pronuntiantem, quid à tota sic Ecclesia credendum. Verum tamen qui minimè obesi narris sunt, deprehendunt in hoc effugio molimen inane. Quod si enim Pontifex hanc rem majoris momenti, in qua de fide ac pace Ecclesiæ agebatur, alieno crediderit calamo; neque, antequam rescriptum illud remitteretur, diligenter perpenderit, imprudenciam & oscitantiam perniciosissimam in eo notabunt. Quod si etiam consultus à Sergio Patriarcha Constantinopolitano in causa fidei, quæ inter diversos Ecclesiæ Orientalis Patriarchas ac præcipuos Prælatos agitabatur; & cujus de-

cifio ad univerſalem Eccleſiam ſpectaſſe dignoſcitur, ſui oblitus Honorius, tanquam Doctor privatus reſponderit, & erraverit, quia ſine Fratrum conſilio egit, utique inferent alii ananathiam non exiſtere in ſolo Pontifice, ſed ſimul in cœtu Fratrum conſiliatorum: qua opinione hodieſum non pauci imbuti ſunt, inter quos celebris è Societate JESU Theologus Joannes Bagotius; qui *Lib. 4. Theol. inſtit. Diſput. 3. Sect. 3.* ſcribit, *Summus Pontifex, ut aliquid definiat infallibiliter, Concilium aliquod ſeu Synodum audire oportet. Nec malè dicitur tunc ex cathedra loqui, cum audito Concilio pronuntiat, in ſacilibus Provinciali, in diſſiſtoribus Generali.*

In hoc ergo Veterum æque ac Recentiorum litigio videre licet, quantum ſudet tota natio Criticorum. Et ſicut ſubductis exactè eorum rationibus, testimoniis & auctoritatibus, ne Archon quidem decretorium in hac cauſa ferre judicium præſumet: ſic vel ipſimet diſſidentes in hoc convenire debuerunt, quod Honorius nimium juſtificetur in ſermonibus ſuis ut vincat, cum judicatur: ab aliis injuria afficiatur: dum ipſi imponitur, quod ne quidem intendiſſe probari poterit. ſic notat famoſus in Gallia ſcriptor Richerius *Hiſt. Gener. Concil.* in Honorio, quod ſenſerit humanitatem Chriſti de cœlo cum divinitate deſcendiſſe. Quod quidem in reſponſione ad Sergium legitur, id autem dogmatizando adſtruere noluit: ſed potius ſibi ſubreptum atque impertinens ab ipſo, velut aliud agente, inſerum fuit. Unde probabiliter nominatiſſimus Joannes Hardinnus occaſionem deſumpſit, ut Monotheliſis affricaret renovationem Apollinarismi; quali docuiſſent, divinitatem in humanitate Chriſti ſubiſſe vices animæ, rationis & voluntatis propriæ: à quo errore immittes eſſe Monotheliſis ex eorundem ſcriptis oſtendunt Viri eruditi. Quod ſi Monotheliſis non fuerint Eutychiati, ut non

fuille plurimi aſſerunt, amiſerunt veritatem humanæ naturæ pariter & divinæ in Chriſto ſine permixtione; proinde diſtinctas ſalvaſque voluere utriuſque naturæ proprietates. Aſt, quia obſcurius ſuum proponebant dogma de Chriſti voluntate in formula exotica, odioſa, & hæcenus inaudita, factum eſt illis in ſcandalum, quaſi plenum Eutychiariſmum per hos cuniculos reſtituere molirentur. Ita Theodorus Episcopus Pharanenſis docuit, humanitatem Chriſti adeo unitam eſſe Verbo, ut, eſto habeat proprias facultates, non tamen illas proprio; ſed Verbi motu ſolum exerceat, operante per corpus & animam Verbo, tanquam per instrumentum ſuum. Pariſormiter Cyrus concedebat paſſiones & actiones in Chriſto: ſed Verbum dicebat eſſe motorem omnium actionum & voluntatum; humanitatem duntaxat instrumentum, indeque reſultare unicam quandam operationem DEIVIRILEM, uti illam jam pridem S. Dionyſius Areopagita nominaverit. Colludit Pyrrhus in Diſputatione cum Maximo, dum ait: Fieri poteſt, ut ſicut ex duabus naturis unum aliquid compoſitum dicimus, ſic ex duabus voluntatibus naturalibus unam aliquam compoſitam dicamus: ut qui duas voluntates dicunt, ob naturalem in Chriſto naturarum differentiam, & qui unicam dicunt propter ſummam unionem, non amplius propter nidas & ſolas voces inter ſe pugnent: ſiquidem nobis non in nominibus, ait Magnus in Theologia Gregorius: ſed in rebus eſt veritas.

Quamquam ergo Honorius non ſatis provide huic ſeſe præbuiſſet defenſorem phraſeologiæ, malè tamen reputabitur Eutychi-anae fautor hæreſeos; cujus etiam malè cenſet Joan. Baptiſta Tamagninus Venetus, Doctor & Profeſſor Theol. in *Hiſtor. Monothelica* Heraclium Imperatorem ſuſcepit patrociniū, non quidem directè de una natura in Chriſto (hoc enim nimis aperte

peritè contrariebatur Synodo Chalcedonensi) sed indirectè per dogma de una voluntate & operatione. Certè in fidei professione, licet hæretica à Severino Papa & Joanne IV. in pleno Concilio damnata, Heraclius declarat, se de Christi voluntate sentire, quod Cyrus & Sergius tradiderunt. Et quidem Catholici nomen retentare semper desideravit, licet Romanæ Ecclesiæ esset infensissimus. Baron. *ad ann. 38. num. 10.*

Interim quæ gravis in minus cauti Honorii nomen surrexit infamia, vix dilui potest; nihilque superesse videtur, quam ut cum doctissimo & perspicacissimo Dionysio Petavio *Lib. 1. de Incarn. cap. 21.* dicatur; optimum Pontificem non satis bene Epistolam Sergii penetrasse; eamque, licet in suo proprio ac naturali sensu hæreticam, in Catho-

lico, quem pati poterat, sensu benignè fuisse interpretatum: ac dum in suo rescripto declaraverit non esse dicendam in Christo Deo & homine unam, nec duas voluntates, noluerit dicere unam esse Dei & hominis; sed asserere voluerit, esse unam solius hominis. Quantumvis ne sic quidem omni culpa excusandus veniet apud eos, qui hanc Controversiam istius generis censent, de quibus habetur apud Senecam *L. 1. cont. 9. 21.*

*Quædam Controversiæ sunt, in quibus factum defendi potest, excusari non potest.*

